



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

42. An qui percutit Clericum constitutum in Minoribus, si non incedat in habitu, & Tonsura, & non obseruet requisita Concilij Tridentini sess. 23. c. 6. de reformat. incidat in censuram Canonis? Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XL.

An percussiones Clericorum damnatum ad trirèmes incidat in censuram?

Et docetur, quod in hoc casu, quando comes, & Magister trirémis percussit Clericum sicut reliquos remigantes, non incurrit excommunicationem; secus vero si ille, vel alius rixando cum illo percussit eum.

Et quid, si praedictus Clericus damnatus ad trirèmes sit incorrigibilis? Ex p.9. tract.4. Ref.17.

§.1. **A**D hunc casum sic respondet Avila de cens. p.4. disp. unica, dub. 1. concl. 1. [Vtrum comes, magister trirémis, scilicet, Comes de galera, percussit Clericum degradatum verbaliter, vel depositum damnatum ad trirèmes, incurrit excommunicationem Canonis. Si quis suadente? Respondeo, quod si percussit illum, sicut reliquos remigantes, propter pertinentiam ad suum officium, non incurrit: nam id facit tanquam minister, & executor Prælati, qui damnavit illum ad trirèmes: consequenter enim damnavit eum ad supplicium, quo puniri solent reliqui remigantes. At verò si aliquis rixando cum illo percussit eum, qui neque est degradatus realiter, neque incorrigibilis, incurrit excommunicationem. Ita ille. Verum id, quod ipse asserit, tales ad trirèmes damnatos, si sint incorrigibiles non gaudere privilegio Canonis, habet magnam difficultatem: nam contrarium firmat Suarez, & alii, quos supra adduximus, agentes de percussione Clericos incorrigibiles. Et minor, Avila quo pacto hanc sententiam docuerit, cum ipse teneat, quod amittentes privilegium fori, non amittant privilegium Canonis: & idem apponam hic verba Coninch de Sacram. disp. 14. dub. 1. §. n. 159. sic asserentis: [Addit Navarr. cap. 27. n. 9. idem dicendum esse de quovis Clerico incorrigibili, probatque ex cap. Cum non ab homine 10. de iudiciis: sed ibi tantum dicitur, Clericum deprehensum in furto, homicidio, perjurio, aut simili crimine, deponendum esse & si incorrigibilis sit, excommunicandum, & crescente contumacia, anathematizandum; & si hæc contempserit, per secularem potestatem corrigendum. Ex quo non sequitur, quamvis incorrigibilem, sed eos solos, qui post illos omnes actus incorrigibiles percussit, per secularem potestatem comprimendos esse. Imò etiam tunc videtur requiri sententia Iudicis Ecclesiastici, qui tales brachio seculari tradat, ut colligitur ex cap. Et famæ 35 de sentent. excomm.] Ita ille. Merito igitur dixit Rodriguez in Summa, 10. tit. cap. 144. n. 15. [Goza del cap. Si quis suadente, el Clerigo descomulgado, o condenado a galeras: por tanto los comites que los agotan, sino lo hazen por causa de castigo, y correccion, quedan descomulgados.] Vide etiam Leonem de cens. collect. 5. n. 241. ubi docet, Clericos tantum verbaliter degradatos, etiam si sint damnati ad trirèmes, gaudere privilegio Canonis; & idem si comites excedant modum in verberando, incidant in censuram.

RESOL. XLI.

An percussiones Clericorum, qui non habent beneficium, neque requisita Concilii Tridentini, incurrit in excommunicationem? Ex part. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 33. alias 82.

§.1. **A**firmativè respondendum est, quia in tali casu Clericus amittit privilegium fori; non autem canonis, ut declaravit sacra Congregatio, id testante Antonio Cardinali Caraffa in quadam Epistola directa ad Paulum Comitolum, ut habetur in suis resp. lib. 6. q. 20. ubi sic ait. [Quanto al secundo, la Congregacione ha sentido, che i clerici, che man-

cado nelle cose contenute nel cap. 6. sess. 23. del Concilio, no godano il privilegio del foro, no por questo s'intendono privati del privilegio del Canone.] Et ita etiam hanc sententiam docent Navarrus lib. 5. cons. 24. de privileg. edit. 2. Molina de iustis. tom. 4. tract. 3. disp. 54. num. 9. Ayala de cens. part. 2. cap. 1. disp. 2. dub. 9. concl. 3. & alii.

2. Sed non desunt Doctores, qui negativam sententiam tanquam probabilem admittunt & ita tenent Banez in 2. 1. q. 12. art. 1. circa finem. Suarez disput. 22. sect. 1. dub. 11. Coninch de Sacram. disput. 14. dub. 15. n. 163. & novissimè Layman in Theol. mor. lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 5. n. 4. ubi sic asserit. Probabile est, nullum prima tonsuram initiatum, aut in minoribus ordinibus constitutum gaudere privilegio Canonis, nisi vel Ecclesiasticum beneficium habeat, vel Clericalem habitum, & tonsuram deferre solitus alii cui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deferriat, aut in aliqua schola, vel universitate, cum licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines versetur. Ita ille, & rationem affert. Primum, quia privilegium fori difficultus amittitur quam privilegium canonis; ergo si Concilium auferet illis Clericis fori privilegium, dicendum est etiam auferre privilegium Canonis, tanto magis, quia privilegium Canonis ex humano jure inductum est, privilegium verò fori ex divino; at his non obstantibus tu primam sententiam tene, stante declaratione Illustrissimorum Cardinalium.

RESOL. XLII.

An qui percussit Clericum constitutum in Minoribus si non incedat in habitum, & Tonsuram, & non observet requisita Concilii Tridentini, sess. 23. cap. 6. de reformatione, incidat in censuram Canonis?

Et notatur, quod excluduntur ab hoc privilegio Canonis Clerici, qui deserto habitu Clericali gravibus criminibus se immiscuit in verberando, quod a fortiori procedit, si in crimen assassinii incidit.

Et quid de Clericis excommunicatis, suspensis, interdictis, vel depositis verbaliter tantum, aut irregularibus, an praedicti gaudeant privilegio Canonis?

Et quid est dicendum de Clericis hæreticis, & schismaticis?

Et quid dicendum erit de Clericis ordinatis per saltum, ante legitimam aetatem vel per alienum Episcopum absque dimissoriis, vel cum dimissoriis falsis, vel per Episcopum excommunicatum suspensum, vel depositum? Ex p.9. tract.4. Refol. 5.

§.1. **N**egativè respondent aliqui, quos ego alibi Sup. hoc incitavi: sed affirmativè sententiæ adhæsi, & nunc adhæreo, stante declaratione Sacre Congregationis. Et ita hanc sententiam, præter Doctores à me alibi citatos, tenet novissimè, Fragosus de Repub. seq. Christ. tom. 1. lib. 1. disp. 2. §. 1. n. 22. & Castrus Palaus tom. 6. disp. 3. punct. 23. num. 3. quia iuste communis Clerico in minoribus Ordinibus constituto concessum erat privilegium Canonis, tamen si alicuius Ecclesiæ servitio addictus non fuerit, neque in aliqua schola ex licentia Episcopi versaretur: at Tridentinum solum restrinxit privilegium fori: ergo privilegium Canonis sub dispositione juris communis relictum est, juxta leg. Praecipimus, C. de appellationibus, sunt enim hæc privilegia omnino distincta.

2. Neque obstat fundamentum contrarium, nam esto privilegium Canonis inferius sit privilegio fori, est tamen magis necessarium personis ecclesiasticis, & earum statui cum gravius offendantur ex vexatione personali, quam ex forensi iudicio. Præterquam quod privilegium fori cedit aliquoties in diminutionem laicæ potestatis: at privilegium Canonis in nullius cedit

cedit præ iudicium. Ergo mirum non est, plures conditiones pro privilegio fori requiri quam pro privilegio Canonis. Tridentinum vero, si bene perpendatur, nobis contrarium non est: non enim dixit servandam esse Constitutionem Bonifacii VIII. in cap. Clerici, de Clericis conjugatis, in 6 pro omnibus Clericis, sed pro Clericis conjugatis: hi enim nec privilegio fori nec Canonis gaudent, nisi conditiones à Tridentino præscriptas observent. Vide etiam Leonem *com. 3. verb. Clericus, n. 5.* Igitur Concilium tantum Clericis auferit privilegium fori, unde per exclusionem unius videtur includere alterum, arg. *Nōne de præsumpt. & l. Cēm Prator. ff. de iudiō.* Et casus non expressus habetur pro omisso, quando lex de aliquo casu disponit, *l. si cum dote. ff. sol. matrim. l. Inter stipulantem, §. Sacer. ff. de verb. obligat.* & cum habeatur ibi casus hic pro dimisso, recurrendum est ad dispositionem antiquorum iurum, quæ determinant, Clericum non deferentem Habitum, & Tonsum non amittere privilegium Canonis, nisi trina monitione præmissa, *vt in cap. Cum contingat, il secundo, de sent. excomm.* vel nisi ex alio capite privilegio clericali privatus sit.

3. Si quis tamen violentas manus in ieceret in Clericum non deferentem Habitum, & Tonsum, quamvis nulla monitio præmissa sit, si bona fide crederet, licere hos Clericos sine innodatione excommunicationis percutere, non esset excommunicatus, ratione huius ignorantia: quia ignorantia sufficiens est ad excusandum à censura. Hac opinio tamen procedit, si talis Clericus fuerit ter monitus à suo Episcopo, & non se emendavit, quæ monitio sufficeret, si esset generalis, puta, per Edictum Episcopi, vt omnes Clerici reassumant Habitum intra mensem; & non sufficere unam monitionem pro tribus, addit Bonacina *de cens. disp. 2. q. 4. n. 6.* cum aliis per ipsum citatis: nam in cap. Contingit, de sent. excomm. dicitur: *Ter à te moniti.*

4. Notandum est etiam hic, quod excluduntur ab hoc privilegio Canonis Clerici, qui deserto Habitu clericali gravibus criminibus, utpote tyrannidis, & seditioni, aliisque facinoribus se invicem de immiscuerint, & textu in cap. Perpendimus, c. Cum non ab homine, de se. excomm. & notat Navarr. cap. 27. n. 8. Suarez disp. 2. d. cens. sect. 1. n. 14. Coninch disp. 14. dub. 15. n. 157. quod à fortiori procedit, si in crimen assassinii inciderint, iuxta textum in cap. 1. de homicidio, in 6. & tradit Sylvest. verb. Assassinii, q. 3. & 4. Covar. lib. 2. var. cap. 20. n. 10. Julius Clarus §. finali, q. 36. n. 30. Et ita, me citato, hanc sententiam docet etiam Squillante de privil. Cleric. c. 5. n. 12. De Clericis excommunicatis, suspensis, interdictis, vel depositis verbaliter tantum, aut irregularibus, dicendum est, eos gaudere hoc Canonis privilegio, vt constat ex c. Intelleximus, de iudiciis. Non autem Clericum hæreticum, aut schismaticum, vt docent DD. in c. Contingit 1. de sent. excomm. nam, cum prædicti delinquant in legem Ecclesiæ; non debent lege Ecclesiæ jvari. Et ita docet Squillante de privil. Cleric. cap. 6. n. 13. & 15.

5. Nota etiam, gaudere privilegio Canonis Clericum ordinatum per saltum: & idem dicendum est de ordinato, vel ab alieno Episcopo absque dimissoriis, vel cum dimissoriis falsis: nam tales verè recipiunt Ordinem, etsi maneant suspensi ab illius exequutione. Et ita docet Marchinus de Sacram. Ordin. tract. 2. p. 1. cap. 15. diff. 11. Vnde miror, quomodo Bonacina rem. 3. disp. 2. q. 3. punct. 6. sect. 3. sub n. 7. neget hoc privilegium ordinato ab alieno Episcopo, vt supra, dum ipsemet ibid. disp. 1. q. 16. punct. 3. n. 5. concedat eidem, ac etiam ordinato ab Episcopo excommunicato, suspensio, vel deposito, (idem dic de ordinato ante legitimam ætatem,) privilegium fori, quod minus difficultè amittitur.

RESOL. XLIII.

An qui percutit Clericum conjugatum non deferentem alicui Ecclesiæ, incurrat in censuram Canonis?

Et quid de privilegio fori?

Et an uxor Clerici conjugati, & filii eorum gaudeant privilegio Canonis, & fori mariti, & Patris incidentis in Habitum, & Tonsum?

Et quid, si manus injectio fieret uxori supradictæ in odium viri, an tunc injiciens incurreret excommunicationem, ac si ipsum percuteret?

Idem est, si percussio fieret in personam alicujus conjugati Clerici, in odium ipsius Clerici.

Et an ad evadendum dictam excommunicationem sufficiat, si tempore, quo percutitur talis Clericus conjugatus, non ferat Tonsum, vel non habeat vestes Clericales?

Et notatur, quod Clericus conjugatus non bigamus, si dimittat Habitum, & Tonsum, & postea illam reassumat, gaudet privilegio Canonis.

Ex quo sequitur, quod Clerici bigami, bigamia vera, & interpretativa in minoribus Ordinibus constituti, non privilegio demandantur, sed vero de bigamia familiaria, vt si Clerici bigami in Sacris initiati sunt, vel ex dispensatione, vel illegitimitate, hoc privilegio Canonis gaudent, & secus in minoribus constituti.

Idem docetur de Religiosis bigamis, etiam si habitum dimiserint, quare illos percutientes erant excommunicati. Ex p. 9. tract. 4. Resol. 6.

§. 1. Controvertitur inter Doctores, an, vt Clerici conjugati gaudeant privilegio Canonis, sufficiat, quod observet illas duas condiciones cap. 1. de Cleric. conjug. in 6. vt, scilicet, unicam, & virginem susceperit, & habitum, & Tonsum gesserit, vel etiam sit necessaria tertia conditio addita à Concilio Tridentino, scilicet, cap. 6. de reformatione, vt nemo sit quoque de mandato Episcopi adscriptus servitio alicuius Ecclesiæ; nam Tolerus lib. 1. cap. 32. n. 8. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 46. n. 2. Gratianus tom. 1. servitium decept. forens. cap. 190. Duardus lib. 2. cap. 15. q. 3. n. 5. Coninch disp. 14. n. 15. Layman lib. 1. radi. 5. p. 2. cap. 5. n. 3. affirmant: quod etiam docuit Cistarius in contr. forens. tom. 1. cap. 53. n. 11. ubi sic ait: [Vt Clerici conjugati gaudeant privilegio fori, & Canonis oportet eos incedere in Habitum, & Tonsum, ad text. in cap. 1. de Cleric. conjug. in 6. & ulterius oportet, quod incedendum Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 6. de reformatione. Et propterea hodie tria copulativè requiruntur ad finem, vt Clericus conjugatus potius beneficiis Canonis, & fori: scilicet, Habitum, Tonsum, & servitium Ecclesiæ: quorum alterum si deficiat, absque alia monitione gaudere non potest prædictis privilegiis: supposito etiam, quod contraxerit matrimonium cum unica, & virgine; quia, si sit bigamus, nolum habet privilegium, & si non est bigamus, hæc tria copulativè requiruntur. Et propterea ad finem, vt conjugatus Clericus fruatur his beneficiis, debet, quod inceserit in Habitum, & Tonsum, plenè probare, necnon quod servierit Ecclesiæ; & duxerit unicam, & virginem, quia est fundamentum sue intentionis. Hoc verum est, quod non tenetur probare in iudicio virginem fuisse illam, quam duxit in matrimonium, sed tantum unicam matrimonium contraxisse, & eam pro virgine fuisse reputatam: nam femina virgo præsumitur, nisi contrarium probetur: imò, licet puella non esset virgo; quando ducta est, ed quod fuerit corrupta ab eodem sponso ante matrimonium; tamen conjugatus Clericus cum ea, gaudet dictis privilegiis, quia non est bigamus.

Sup. hoc sup. in ref. 3. §. 1. & 2. & in ref. 40. ante med. & inf. in ref. 46. §. vlt.

Sup. his in ref. 1. not. præteritæ §. Verum. & in ref. 2. pro parte, prop. finem. Et pro Clerico hæretico sup. in ref. 39. §. vlt.